Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1305

Quelle:
Copyright:

latae Conceptionis SS. Dei Genitricis Mariae Devotiſſimus Tractatus. Autor, qui *Ord. Min.* fuiſſe videtur, nomen ſuum non adjecit, laborem vero ſuum *Leopoldo* I. Imp. obtulit, ut patet *fol.* 29. ubi poſtquam *Ferdinandi* III. in Virginem adfectum celebraſſet, ſubdit: *Ejusdem piiſſimi animi ac coronarum heres modo extat Veſtra Cæſarea Majeſtas, Romanorum Cæſar ſemper Auguſtus, Turcarum debellator et Triumphator glorioſus.* Concluſionem porro (methodo enim ſcholaſtica procedit) quam probandam ſumit, ejus verbis adſcribo: *Beatiſſima Virgo Maria in nullo penitus inſtanti habuit ſiue contraxit peccatum originale, ſed in Conceptione ſua ſemper fuit ab omni labe divinitus preſeruata.* Atque in hunc finem Figuris Antiqui Teſtamenti, Dictis Patrum et Doctorum, Oraculis Summorum Pontificum, quos inter recentiſſimus *Alexander* VII. Decretis Conciliorum, Senſu Univerſitatum, Principum, Civitatum, Miraculisque utitur, in quo non ſemper limpidis fontibus uſum adultior noſtra aetate Criſis facile videt. Sub finem Adverſariorum objectis reſpondet. Quae omnia uberiora habes apud *Coeleſt. Sfondratum*, et *Thom. Strozzium.*

II. *fol.* 53. ſequitur Ejusdem: *Compendioſus Luciferi aliorumque ejus Sequacium primi peccati Diſcurſus*, in quo eadem methodo adſerta Angelorum exiſtentia de quorundam Lapſu, Lapſusque natura diſſeritur. Ad calcem Autor ſe ſuaque Sanctae Matri Eccleſiae humiliter ſubmittit.

CCCXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 488 XV. Folior. 285. 4. currente calamo exaratus, rubricisque diſtinctus praemiſſo *Elencho* continet, quae ſequuntur: I. Tractatum *de Angelis*, cujus Quaeſtio princeps: *Vtrum propter varia huius vie temptamenta indigeant viatores beatorum angelorum cuſtodia.* Ut *fol.* 13. p. 2. minio notatur: *Ad hanc queſtionem reſpondit frater Mathias fabri de auguſta ordinis fratrum beate marie de monte carmeli in conuentu auguſten. Anno domini. 1467. in capitulo provinciali in feſto ſancti Jacobi apoſtoli. Et in eodem promotus eſt in lectorem ſacre pagine.* Totius itaque Tractationis, quae multas deinceps etiam de reprobis Angelis Quaeſtiones continet, Autor habendus eſt hic *Mathias Fabri.*

II. *fol.* 61. praemiſſo *Elencho* ſequitur Ejusdem Tractatus *de Votis*, cujus prima Quaeſtio: *Vtrum omne votum voventem executive obliget ad implendum id quod vouerat.* Ad hanc etiam, uti et ſubjunctas Quaeſtiones reſpondiſſe dicitur *fol.* 64. Idem *Anno. 1468. in alma vniuerſitate Wien. lector ac magiſter artium. in craſtino ſancti ludowici conf. regis francie.*

III. *fol.* 118. Ejusdem tractatus *de Clavibus Eccleſiae*, cujus prima Quaeſtio: *Vtrum ſoli ſacerdotes*